Quelle: https://manuscripta.at/?ID=9067
Copyright: Melk, Benediktinerstift

153

scelerum. sit fortitudo fragilium. sit contra mundi pericula firmamentum. sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium peccatorum. P. *Pro papa.*

Deus omnium fidelium pastor et rector. famulum tuum N. quem ecclesie tue preesse voluisti. propicius respice. da ei quesumus verbo et exemplo quibus preest proficere. ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. P. *Secreta.*

Oblatis quesumus domine placare muneribus. et famulum tuum N. quem pastorem populo tuo esse voluisti. assidua protectione guberna. P. *Co.*

Hec nos quesumus domine divini sacramenti perceptio protegat. et famulum tuum N. quem pastorem ecclesie tue esse voluisti. una cum grege sibi commisso salvet semper et muniat. P. *Pro abbate.*

Concede quesumus domine famulo tuo N. abbati nostro. ut predicando et exercendo que recta sunt exemplo bonorum operum animos suorum instruat subditorum. et eterne remunerationis mercedem a te piissimo pastore percipiat. P. *Secreta.*

Munera nostra quesumus domine suscipe placatus. et famulum tuum N. semper et ubique misericorditer protege. P. *Co.*

Hec nos domine communio purget a crimine. et famulum tuum N. benigna pietate conservet. P. *Pro omni gradu ecclesie.*

Exaudi quesumus domine pro omni gradu ecclesie supplicum preces. et devoto tibi pectore

Omnipotens sempiterne deus cuius spiritu totum corpus ecclesie sanctificatur et regitur exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes ut gratie tue munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. P. Sec. Suscipe domine preces et hostias pro omni sancte ecclesie tue gradu eos secundum tuorum [illegible] iniunctis protege bonis. P. Compl. Tua nos domine medicinalis operatio [illegible] clementer perducat et famulos tuos iniunctis sacris ordinibus constitutos tuis faciat semper inherere mandatis. P.